



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

B. Stanislaum excipit, & Romani Catechismi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

ne uole mandata: sed homo & cuncta bundus natura, & corporis languore iam obtundente animi effectus spem magis nō ademit, quam dedit. Adiecit Canisius in alia quoq; re salutare monitum. Namque aliquot iam annis cum senatus Argētoratensis functionem Catholici cultus interdixisset, Clerus, Canoniciq; nusquam diuina in communi celebrantes, rarò priuatim, fusi, uagiq; nihilominus uetigalibus sacris saginabantur. Monuit igitur, ut occurreret ei malo, ut certum destinaret obeundis diuinis locum, nec sine- ret sanctissimas cæremonias aboleri. Obseruauit interea Cœnobiorum solitudinem miserādam: apostatarum greges, sacrataq; Deo facultates uel raptoribus Hæreticis prædæ esse, uel in omnem profundi turpitudinem. Cui pesti opinabatur aliquid posse leuationis fieri, si Præpositi Religio- forum Ordinum generales, suorum quisq; Cœnobia per se se, uel per idoneos Vicarios studiose inspicerent: idq; Consilij Romam perscripsit, & salutare fuit. Reuersus in Prouinciam dū in Col- legiis ipse recognoscendis suis, & componendis elaborat, adfuit Dilingæ adolescens Polonus ab Vrbe Vienna profugus, obsecrans, & obtestans, ut se

*B. Stanislaus  
excipit, & Ro-  
mam mittit.*



vt se in societatem acciperet: voto se ad hanc disciplinam iam pridem obstrictum. Viennenses autem Patres, cum turbarum ab ipsius gente metu non recepissent, spem ostendisse, fore vt à Canisio reciperetur. Stanislaus Kostka hic erat, quem statim ex quodam spirantis sanctitatis afflatu dilectum Pater benignè excepit iis hospitalibus lautitiis, quæ familiares sunt Crucem Christi, & studia seculo diuersa sectantibus. In Conuictorum enim Contubernio Dilingano famularibus ministeriis addixit; aliquandiuq; ibi exercitum sanctam in Urbem misit cum præclara commendatione, quæ non abhorret à futuræ eius sanctitatis præfatio.

Inter hæc Romanis ipse literis certior fit, optare Pium Quintum Pōtificem summum, vt, quoniam compositæ ab Hæreticis Magdeburgensibus, vulgatæq; Historiarum centuriæ, quanquam refertæ mendaciis, vim tamen habebāt magnam ad circumueniendas simpliciorum mentes, conscriberet ipse breuem, sed succi plenam, robustamque confutationem, quæ in apertum tractis eorum fraudibus speciosam illam falso quæsitam autoritatis ymbra, perniciosèq; grassantem ad vulgus,

Recepit  
Pium Quintum  
Pōtificem summum  
vt contra Centurias Hæreticorum.

Quædam enim  
libet scribere  
ve contra Centurias Hæreticorum.